

Q. D. B. V.
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO, AC
DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECTORATUS SAX. HEREDE,
ETC. ETC.

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
DISPUTATIO INAUGURALIS,

*D*E
**BENEFICIO COMPE-
TENTIÆ CIVITATI-
BUS NON COMPE-
TENTE,**

3706
QUAM
Ex DECRETO INCLYTI JC TORUM ORDINIS
PRAESIDE

DN. CASP. HENR. HORNIO,
JC. ET ANTECESSORE, ELECT. CURIÆ,
CONSISTORII ECCLES. ET SCABINATUS, NEG-
NON JUDICII PROVINC. IN LUSATIA INFE-
RIORI ASSESSORE,

3706
PRO LICENTIA

SUMMOS IN JURE HONORES OBTINENDI
3706
AD D. XXI. OCTOBR. ANNO MDCC VI.

HORIS ET LOCO CONSVETIS TUEBITUR

CHRISTIANUS JACOBUS HEIL,
JESSENA-SAXO.

3706
VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

3706
M

3706
5. P. defact.

3706
*F. Diacan
Wittenberg*

VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS ATQVE
PRUDENTISSIMIS
DN. DN.
CONSVLIBVS,
SYNDICO,
PRÆTORIBVS
AC RELIQVIS
SENATORIBVS
INCLYTÆ REIPUBLICÆ
VITEMBERGENSIS,
HANC DISSERTATIONEM SVAM
IN AVGVRalem
IN GRATI ANIMI SIGNVM STVDIORVMQVE
SVORVM COMMENDATIONEM
DICAT AC CONSECRAT
AVCTOR
CHRISTIANVS JACOBVS HEIL.



I. N. J.

PRAEFATIO.



Uemvis quidem hominum commo-
vet calamitas obærati debitoris, ni-
si dolo culpare lata ipse sibi hanc
compararit, qui telum quam du-
rum sit paupertas, intelligit, maxi-
me cum debitor non solum usque
ad ultimum quadrantem, *Wesenbec.*

ad ff. d. cess. bon. n. 4. sive ut loquun-

tur, usque ad peram & sacculum, ad ultimum obulum
Mevius ad Jus Lubec. Lib. I. Tit. 3. Art. 1. n. 24. ita quidem,
ut nec præter vestem quotidianam, qua corpus tegat,
quicquam sit relinquendum, *Berlich. P. I. concl. 8. n. 50.*
excuti queat; sed etiam carceri sæpius fiat obnoxius,
imo, licet homo liber, olim creditoribus ob æs alienum
servire teneretur, id quod ipsis *Diocl. & Maximil.* Impe-
ratoribus in *L. 12. C. de Obl. & aCt.* luctuosum atque invi-
diosum visum; neque immerito. Ipsi enim divinæ cle-
mientiæ displicet nimiaæ creditorum crudelitati plus in-
dulgere *Exod. 22. vers. 25. 26.* ex quo textu, licet hunc,
& similes ad forenses Leges, populo, cui peculiariter

A 2

Deus

Deus jura dare dignabatur, præscriptas referant, illud tamen morale nobis relictum, ne in exigendis debitibus nimis rigidi simus exactores, præsertim, si cum egenis & sub duræ paupertatis jugo gementibus nobis res sit. *Zepper. de Legib. Mosaic. Lib. 4. c. 23.* Hinc, ne plus indulgetur crudelitati creditorum, & tandem ipsa vita abripiatur, quæ ut laborando & adminiculis suis fovetur, ita mediis ablatis utique exciditur, sapientissimi Imperatores tandem pro benevolentia sua imperiali, cuius proprium esse, commoda subjectorum investigare, & eorum calamitatibus diligentि cura mederi, ut inquit Imperator *Lotharius in c. un. de probib. feud. alien.* varia contra rigorosos exactores indulserunt beneficia; quorum, in primis etiam est *beneficium competentia*, quod quidem certis hominum generibus competere novimus, attamen non ita promiscue prout nonnulli volunt, sed certis solum modo personis. Cujus verum doctrinæ sensum argumentum Dissertationis præsentis, *de beneficio Competentia Civitatibus non competente*, docebit. Deus adsit, quo eam doctrinam ad optatum finem perducam, quæ veritati juris ac legum convenient!

§. I.

Supervacuum vero duco diu hic explicationi Rubricæ immorari, cum hujus significatio jam in vulgus cognita, perspectaque sit. Sed paucis tantum adducam ea, quæ circa ipsius illustrationem necessaria esse intelliguntur. Rem de qua agimus, Beneficium dici ex *L. 13. ff. sol. matr. & 03. ff. pro focio* constat. *To beneficium vero, quod a beneficiendo ortum dicitur* Seneca in *Lib. I. c. 6.* de beneficiis benevolam actionem dicit,

dicit, tribuentem gaudium capientibus, capientemque tribuendo in id, quod facit pronam & sponte sua paratam. quæ verba Senecæ sua fecit Feudista II. Feud. 23. Atque ista significatio ad eos pertinet, qui Ethica tractant. Interim est notissimum, beneficium apud Feudistas idem ac Feudum esse 2. Feud. 23. In sensu juris civilis, (ne de jure canonico mulra dicamus, quo beneficia Canonici-
tus, Præbendæ, & Dignitates quoque dici solent, *Capitul.*
*ex multis §. Constitutus Causa I. Qv. 3. Cap. Si propter 10. de Rescript. in 60. de quibus videatur Rebuffi Praxis beneficio-
rum*) beneficium significat interdum operam alicujus, vel causam, vel occasionem L. 4. §. 1. ff. de *damno infect.* L. 7. §. 8. comm. *divid.* L. 46. pr. ff. de *furi.* item pro gratia exhibita & merito benefacto que in aliquem collato accipitur L. 60.
ff. de R. J. Porro hac voce innuitur id, quod alias auxilium L. 39. §. 13. de *aminist.* Jud. dicitur, L. 8. Qui bonis cedere posse, vel etiam *privilegium audit,* sive per hoc intelligamus *Constitutionem personalem*, sive *specialem* L. 68.
& 169. de R. J. vid. L. 3. de *Const. Princ.* L. 43. de *vulg.* & *pupill. Substit.* §. fin. J. de *Hered.* Qv. & Diff.

§. II.

Scilicet, si exacte loqui velimus, privilegii vox significat *constitutionem personalem*, qua Princeps certæ personæ sive physicæ, ut Trito, sive morali, ut civitati certæ, veluti Vitembergæ, Lipsiæ ob meritum vel aliam causam quid indulget, vel quam pœnam irrogat, vel sine exemplo alicui subvenit L. I. §. 2. de *Const. princ.* §. 6. *Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ.* Quales constitutiones personam non egrediuntur; nec ad exempla sunt trahendæ; atque tum interdum favorem conciliant, interdum etiam odium continent erga illum, cuius causa sunt latæ. dict. LL.

A 3

Zieg.

Zieg. de Jur. Majest. C. I. cap. 12. §. 2. Interim tamen privilegii vocabulum de eo quoque jure accipi cœptum est, quod certo ordini personarum, conditioni & qualitati, certisque causis est concessum; atque alias nomine constitutionum specialium venit. Ita jura pupillorum, Militum, Studiosorum, Mulierum, Creditorum & Debitorum, Fidejussorum, pia cause, dotis, privilegia, dici solent, quæ & constitutiones speciales interdum vocantur. Dn. Baro a Lincker in Analect. ad Schwederum Part. Special. Sect. I. cap. 10. §. 2. Arque hoc sensu beneficij vox hoc loco venit, & beneficium nostrum privilegium est, & dicitur. Solent etiam privilegia in utroque sensu jus singulare dici. Gothofr. in Not. ad auod. Tabul. LL. Tab. 9. & reipsa aliquid singulare utraque privilegia continent: atque hoc sensu etiam nostrum beneficium jus singulare dici potest. Sed tamen differre etiam jus singulare a privilegiis, exakte docet Zieg. dict. L. §. 3. & 4. Scilicet jus singulare est, quod singulariter & a regulis juris exorbitantem habet rationem, & singulare dicitur, non quod in singulas personas, vel singularem personarum ordinem, aut causas constitutum, sed quod paululum aberret a jure communi ob publicam utilitatem vel necessitatem L. 16. ff. de Legib. L. 162. ff. de R. J. quale jus est usucapio. Zieg. d. l.

S. III.

Competentiae vox in jure nostro nullibi reperitur; imo purioris sermonis non est. Quin & beneficium, de quo agimus, nullibi in jure Justinianeo speciali nomine insignitur, sed tantummodo a fine suo circumscribitur, quod scilicet hoc beneficio gaudens in id, quod facere potest, conveniatur, vel eatus, quatenus facere potest, cogatur

cogatur solvere L. 16. & 17. ff. de re judic. vel, quod in id, quod facere possunt, quodve dolo malo fecerint, quo minus possint, condemnari oporteat L. 63. pr. pro socio, vel condemnari debeant, quatenus facere possunt, i. e. quatenus facultates ejus patiuntur, §. 30. Inst. de Act. item quod actio in id, quod facere possit, danda, ita ut ipsi donatori aliquid sufficiens relinquatur L. 30. ff. de R. Jud. Conf. L. 173. ff. de R. J. Interim ab Auctoribus nostris, ut est notissimum, nomen competentiæ beneficij nostro dari ceptum est: incertum tamen, qua occasione, vel ratione. Tò competere, a quo barbara vox procul dubio derivata est, apud latine loquentes idem esse ac contra aliquem bonorem, dignitatem petere, notum est. Significat etiam saepè idem, ac convenire, vel parem, idoneum esse, testimonio Nonij. Sic competens pena dicitur ea, quæ est congrua seu conveniens, in L. I. C. de lucr. Advocatorum, competens tribunal L. 35. §. 2. de Procurat. judex in L. 28. ff. de re judic. i. e. talis, cui cognoscere de causa licet. Porro significat idem ac deberi ut in L. Papin. 8. §. 17. ff. de inoff. testim. vel idem ac jus esse aliqua re utendi, quo sensu dicimus actionem, conditionem competere L. 9. ff. de reb. cred. Qui vero, factum? ut inde derivata vox competentiæ, quam praxis alias ad forum competens applicare solet, Budæ Forensia pag. 65. ad hoc beneficium tracta, merito mireris: & vix idonea ratio reddi poterit. Manzius de patroc. debit. Dec. 3. Qv. I. n. 2. inde originem trahere existimat: quia propter hoc privilegium tantum debitoribus sit relinquendum, quantum pro honesta, congrua, sive competentiæ sustentatione, & vietu necessarium est. Aliam conjecturam suggerit Lauterbach. de benef. compet. Thes. 3. scilicet eam, Doctores nostros a verbis initialibus, quibus

bus nonnulli, dum de hoc argumento egerunt: *Competit nonnullis personis beneficium &c.* usi, occasionem arripiisse, ut *competentiae* nomen auxilio huic darent; pariter ac olim ab initialibus edictorum verbis interdicta, & actiones nomen acceperunt. Quod uti suo loco relinquo; ita quæcunque demum origo hujus denominatio-
nis sit, absque peccato appellatione hac usu fori com-
probata licebit uti. Vocatur alias *privilegium deductio-
nis Carpzov. P. I. Conf. 32. Def. 17.* item *exceptio competen-
tiae effectu pro causa posito, Lauterb. d. t. §. 6.* item be-
neficium exigendi. *Hilliger. ad Donellum L. 27. Cap. 9.*

§. IV.

His positis, paucis nunc dicendum, quidnam com-
positio hæcce verborum secum ferat. Scilicet *beneficium
competentiae est beneficium juris, certis personis concessum,
ne ob debita omnia bona illis afferantur, sed tantum relin-
quatur, quantum ad sustentationem vite opus est.*

§. V.

*Quid per beneficium intelligamus, jam ex dictis pa-
tet. Ex quibus id simul fluit, non hominis alicujus
privati, sed *legis*, vel quod idem est, ipsius Legislato-
ris esse hoc auxilium. Atque uti hoc beneficium, seu
speciale jus præsupponit contrarium aliquod jus com-
mune, quo deficiente non opus fuisset eo, *L. un. C. de the-
saur. ita necesse est, ut hoc speciale jus a legislatoria
potestate profiscatur.* Ut hujus enim solius est Le-
ges condere; ita etiam abrogare eas, vel limites certos
juris jam constituti statuere, & definire *L. I. & L. 12. C. de
LL.* Ziegler. *de jure Majest. Lib. I. cap. 5. & cap. 12.* Lauterb. *de
benef. comp. §. 9.**

§. VI. Ut

§. VI.

Uti vero de legislatoria potestate in genere, vel penes quem illa in imperio Romano Germanico hodie sit tum ratione universi, tum ratione singulorum territoriorum, disquirere hujus loci non est: ita tamen illud omitti non debet, Romanæ Nomothesiæ in Germania hodie receptæ hoc beneficium originem debere, & quidem juri, quod partim ex interpretatione Prudentum, & usu fori ortum duxit L. 2. §. 5. de Orig. Jur. partim ex Responsis Prudentum, postquam a summa potestate illis robur accesit, §. 8. Inſt. de Jur. N. & G. Imo quam plurima hujus argumenta ex jure honorario seu Prætorum Edictis promanasse, indicio est, quod variis textus Digestorum ex commentariis Ulpiani ad Edictum L. 63. ff. pro socio, L. 16. 17. 18. ff. de Re judic. sint desumpti. Id enim muneris Prætori fuit concessum, ut jus civile juvare, vel supplere, vel corrigere etiam certi modo possit, L. 7. §. 1. ff. d. Iust. & Jure h. e. rigorem juris civilis mitigare, & de iis, quæ legibus nominatim non sancita, nec vetita essent, ex bono & æquo aliquid statuere, etiam præter rationem juris civilis. Nec dubitat Donellus Lib. 27. cap. 9. omnia fere hujus juris exempla ad prætoris edictum referre, atque ejus verba sic fuisse concepta fingere: *In parentem, liberos, fratrem, sororemve, item in patronum patronamve, liberos parentesve ejus, item militem armate militiae, item in matritum, uxorem: item eum, qui bonis cessit, item emancipatum, ex heredatumve, qui de eo convenitur, quod cum ipso, dum in aliena potestate esset, contractum erit: si condemnati erunt, in id dunt axat, quod facere, non deducere alieno, poterunt, actio erit. In eum, cum quo ex donatio-*

B

nis

nis causa agetur, non nisi in id, quod deducto esse alieno facere potuerit, actionem dabo. Illa vero postea omnia Justinianus Constitutionibus suis probavit. §. 39. & 42. *Inst. de act. L. un. §. 7. C. de Rei uxor. act. Conf. Tanta. & Deo auctore de Conc. & Conf. Dig.* Imo ex Principum constitutione, Rescripto Divi Pii sc. hoc beneficium donatori datum fuisse *L. 12. ff. de Donat.* & extensum intuitu mariti *L. 20. ff. de Re iud.* docet.

§. VII. Scilicet secundum regulas juris communis in solidum adversus nostros debitores agimus, §. 36. *Inst. de act.* atque adeo, ut hoc solidum consequamur, licet debitorum, usque ad saccum, ac peram excutere, prout jam supra in præfatione monui. Ab hac regula tamen exceptions dantur, quæ in casibus non exceptis illam maximopere confirmant. *L. 12. §. 43. ff. de fundo inst.* Notum enim est, interdum solidum non consequi actorem ob naturam obligationis, ut in actione de peculio, §. 36. *de act.* ob oppositam compensationem §. 30. *dict. tit.* ob detractionem sumptuum in dotem factorum, ut in actione de dote, §. 37. *d. l.* denique ob beneficium competentia. *Hopp. ad. §. 36. f. de Act.*

§. VIII. Ad hoc ultimum, quod attinet, de quo nobis sermo est, certum quidem est, juris conditores commovisse duram debitorum depauperatorum conditionem, ut illis, quantum posset fieri, succurreretur. Quoniam vero omnibus hoc privilegium non indulserunt, colligere licet, generalem illam rationem, non sufficientem fuisse viam, ob quam a regulis juris communis recederetur. Extorsit tamen certarum personarum conditione,

tio, quæ benevolentia ac charitatis religionem in legislatoria potestate excitavit, ut tale privilegium illis indulgeret.

§. IX.

Itaque (I.) sangvinis ratio, tum pietas, ac reverentia Parentibus debita, quæ & eo se extendit, ut alendi sint a liberis, effecit, ut parentibus, contra liberos suos cujuscunque gradus & sexus sive emancipatos, sive non, in quacunque causa hoc beneficium concederetur. L. 16. ff. de Re judic. L. 7. §. 1. de Obseq. Parent. præstand. §. 40. Inst. de act. vid. Lauterbach. dict. Dissert. §. u. 41. & 46. seqq. Eadem quoque ratio sangvinis & pietatis efficit, ut parentes quoque eodem modo nec liberis hoc invideant, quos & ipsi alere debent. L. 18. ff. sol. mar. L. 30. ff. de Re judic. Hilliger ad Donell. Lib. 27. Cap. 9. Mänzius Decad. 3. Ques. 1. n. 15. quamvis dissentiat Lauterbach. §. 29. in Dissert. de benef. Compet. Porro sangvinis ratio produxit hoc beneficium ad fratres contra fratres, in quacunque etiam causa, quarum nulla hic est determinata. Et si enim directo privilegium illis nullibi attribuitur, (nam ex L. 17. ff. de Re judic. quam in hanc rem allegat Hilliger d. l. lit. D. id vix probari poterit, ut inspectio docet:) tamen ex Lege 63. ff. pro socio concedi auxilium, satis apparet. Nescio enim, an ullus sanæ mentis ratiocinatio nem Sabini, & Ulpiani ad Edictum perpetuum commentantis probare possit: sociis beneficium hoc competere, summa ex hac ratione, quod societas jus quodammodo fraternitatis in se habeat; si fratribus jus illud haud competisset. Hoc enim si præscindas, absurdissima esset hæc Ulpiani collectio & sententia, in qua tamen auctorem habuit Sabinum summum etiam Juri consultum.

B 2

§. X.

§. X.

Post hæc (II.) nexus ac vinculum matrimonii societasque vitæ causa fuit indulgendi beneficij, ob quam datur marito, L. 17. de Re judic. L. 54. sol. matr. contra uxorem, non tantum si nomine dotis conveniatur. §. 39. Ins. de act. sed in omnibus actionibus, quæ ex contractu proveniunt, L. 20. ff. de Re judic. nec interest, si ve constante, sive soluto matrimonio agatur. dict. Lege & L. 28. sol. matr. sive causa actionis matrimonium præcesserit, sive eo contracto originem acceperit, modo solutum non fuerit sequuta. L. 35. ff. de negot. ges. Exceptiōnem quoad funerariam actionem. Vid. in L. 28. ff. de delig. Imo datur & ejus patri, socero uxoris contra nurum in causa dotis, L. 21. de Re judic. L. 15. S. ult. L. 16. sol. matr. Uxor quoque ipsa L. 20. in fine de Re judic. auxilium hocce id eo consequitur. L. 17. §. 1. sol. matr. quamvis in marito & reverentia illi debita concurrat. L. 14. sol. matr. L. un. Cod. de rei ux. act. Ad quam classem per consequentiam etiam pater uxor, socer mariti certo modo referri debet, ratione dotis promissæ, constante matrimonio si dos petatur, contra generum. L. 21. & 22. de Re judic. L. 17. princ. sol. matr.

§. XI.

(III.) Quasi conjunctio, seu conjunctio civilis naturalem imitans inter socios est, in actione pro socio aliquis respectu societatis competentibus, ut jam diximus, L. 63. pro socio L. 16. & 22. §. 1. de Re jud. sive omnium bonorum, sive unius rei, d. L. 63. ex qua supplendum, quod deest L. 16. ff. de Re judic. vid. Magn. Dn. Berger, in Resolut. Lauterb. ad Tit. ff. pro socio Quest. s. Deinde (IV.) bene merita alicujus erga alium privatum causam quoque

que dederunt, ut beneficium hoc locum inveniat. Ob quam rationem id acceperunt *patronus*, *patrona*, eorumque *liberi* & *parentes*, contra libertos sine alicujus causæ determinatione, *L. 17. de Re judic.* item *Donator*. si ex causa donationis, sive conditione ex lege, sive ex stipulatu actione conveniatur, adversus donatarium, *L. 19. §. 1. de Re judic.* *L. 12. & 33. ff. de Donat.* imo & tunc, si donatum constituerit, aut condemnatus actione de pecunia constituta, vel rei judicatae compellatur, *dicit. L. 33. de Donat.* *L. 51. §. 1. ff. de Re jud.* Atque multo magis id meruerunt, qui de Republica bene meriti, ut milites armatae militiae, adversus quoscunque in omnibus causis, sive militiam concernunt, sive non, sive ante militiam, sive post, negotium contractum, *L. 6. princ.* *L. 18. de Re judic.* modo quis non dolo malo militiae non men dederit. *Lauterb. d. Difser. §. 46.*

§. XI.

Denique (V.) & ob pietatis causam iis indulgetur subsidium hoc, qui non malo more bona sua amiserunt, ut is, qui bonis cessit, contra creditores, quos habuit ante cessionem, & in causis ante illam contractis, *§. ult. Inf. de act. L. 45. de cess. bon. arg. L. 3. C. de bon. aut jud. poss. Johann Ussel in Not. Covarrub. Lib. 2. Resol. cap. I. n. 5.* item emancipatus & exheredatus, quive paterna hereditate abstinuit, ex contractu durante potestate patria inito, ex quo patri acquirebatur, conventus contra creditores, *L. 2. ff. quod cum eo, L. 44. de Re judic.* quia subsidium vitæ amplius a patre nullum habet, & peculium amittit, *L. ult. quand. act. de pecul.* Scilicet iniquum visum fuit, filiumfamilias, qui æque ac paterfamilias ex suo contractu obligabatur, *L. 39. de Obl.*

C actione in solidum condemnari, si a patria potestate liberatus ex paternis non locupletior factus, vid. Lau-
terbach. ad Tit. quod cum eo, qui in alien. Colleg. theor. præct. §. 2.

§. XIII.

Et hi illi casus sunt, quibus nos putamus benefi-
cium locum habere. Recensentur passim a doctoribus
plures, sed sine lege; atque sœpe etiam sine ulla ratio-
ne. Fundamentum hujus juris, sive privilegium dicas,
sive specialem constitutionem, sive singulare jus, audi-
vimus esse legis dispositionem. Hæc ubi deficit, & il-
lud deficere necesse est. Neque enim JCtis licet ejusmo-
di privilegia, aut specialia jura fingere, aut invita legis-
latoria potestate extendere; etiamsi maxime ratio sub-
fit, quæ similis, vel eadem planè videatur, ac quæ
movit in alio casu legislatorem. L. 15. seqq. de LL. Cap.
28. de R. J. in 6to. L. 141. 162. ff. de R. J. Franzk. ad Tit. de LL.
n. 58. & 68. Sic quæ de restitutionibus minorum, atque
intercessionibus mulierum latæ sunt leges, minime ad
fenes, & rusticos, ex quibus nonnulli imperitiores &
magis lubrici sunt, quam minores, vel fœminæ, ex-
tendi debent. Donell. Lib. I. Cap. 14.

§. XIV.

Hinc non putamus audiendos, qui ad exemplum
armatorum militum, etiam militibus togatæ militiae
idem illud deberi afferunt: nec sententiam suam ex ju-
re civili defendere poterunt. Etsi enim utique etiam
milites togatæ militiae bene mereant de Republica,
quod quidem Principem ad concedendum privilegium
moveare posset: non tamen quid fieri queat, vel æquum
sit, si de jure constituendo quæstio, hic spectandum;

sed

sed quid sit juris constituti. Ubi sane nullibi reperitur, ad togaram militiam esse privilegium hoc extensum: itaque nec a nobis ob similem rationem, sine lege extensio talis fieri debet. Nam nec eadem hic plane subsist, ac in militibus sagatis, ratio, qui sanguinem pro Republica fundunt, *Hilliger ad Donell. d. l. Lauterbach. d. l. §. 32.* Hinc omnia, quæ de Professoribus, Doctoribus, Clericis, imo & Nobilibus non militibus, si maxime ex majori nobilitate sint, a Doctoribus traduntur, ex jure civili haud poterunt defendi: testantur tamen pasim Doctores de praxi & observantia, a qua, si certa est, temere in judicando recedendum non est. *Carpzov. Part. I. Cons. 32. Def. 18. Lauterbach. d. l. §. 32.* relatumque mihi est a Dn. Præside, Ordinem hujus loci non dubitasse, & nobili fœminæ, beneficium hoc tribuendum esse, cum acta ex præfectura Beltzicensi transmittentur, in causa Hered. *Fugmann. contra Arnstedt.*

§. XV.

Sicuti vero ea, quæ de sagatis militibus *L. 6. & 18. ff. de Rejudic.* sancta, invita legislatoria potestate ad togatos non sunt extendenda: ita porro nec possum facere cum iis, qui beneficium hoc illis concedunt, qui per vim maiorem bellicarum calamitatum ad egestatem redacti sunt, quod maximo conatu facit *Manz. in Patr. Deb. Dec. 3. Ques. 2.* Fateor naturali æquitati & Christianæ charitati quam maxime convenire, ab his debitoribus fatis afflitis non exigere solidum: sed dum lex deficit civilis, nemo ut id faciat, adigi potest, qui sponte hanc misericordiæ partem sibi cordi esse non patitur. Equidem peculiaria argumenta pro his debitoribus ex *§. ult. Inß. de act. & Novella 135.* petuntur. *Priori loco Justinia-*

IVX. 2.

nus

nus ait, *inhumanum esse spoliatum fortunis suis, in solidum damnari.* Ergo & eos ita damnari inhumanum est, qui bello bona amiserunt. At si haec illatio vera esset, omnes depauperati debitores hoc beneficio gauderent; quod tamen, nec ipse Mantzius admittit. Sane etiamsi ratio haec, quam Justinianus dicto loco adducit, ad alios quadret: non tamen ideo, ut dixi, propter eandem rationem in hisce casibus extensio licita est. Imo, si rem penitus examines, de eo loquitur Justinianus, qui suorum creditorum causa per cessionem bonorum fortunis suis se ipsum spoliavit; quem, ut iidem creditores postea in solidum convenient, inhumanum judicavit Imperator. Quod certe de his debitoribus, illos se scilicet in gratiam creditorum spoliaffe bonis, dici nequit. In altero loco, Novella scilicet 135. Justinianus querit: *ubinam justum sit, ut is, qui ex accidenti, non supina negligentia res suas amisit, denuo per vim ad ignominiosam vitam transportetur, & ad quotidiani vicius, neque non amictus corporis inopiam adigatur.* Ex quo infert Mantz. d. l. n. 66. his depauperatis debitoribus beneficium competentiae competere. Sed ut taceam, dubiam esse auctoritatem hujus Novellæ, eandemque in Germania nondum receptam, Gudelinus de libro noviss. Lib. 4. Cap. 16. n. 53. Rittershusius ad Nov. Part. 9. Cap. 30. n. 3. Justinianus in ea haud agit de beneficio competentiae, sed tantum id vult, ut nemo invitus teneatur cedere bonis. Vid. late de hac re Lauterb. d. Diff. § 36, Interim si talis lex decur, quis dubitet, laude illam dignam esse?

§. XVI.

§. XVI.

Porro trahunt huc civitates, quarum potissima causa hæc opera suscepta est. Sed quoniam hæc quæstio paulo latius tractanda ; præmittamus quædam adhuc, in genere quæ ad beneficium competentiæ spectant. Ubi quidem primum id notandum, privilegium hocce personale esse, atque ad heredem non transire, quod apertissime docent *Ulpianus in L. 12. sol. matr.* & *Paulus in L. 25. de Re judic.* Idem legitur in *L. 24. §. 1. L. 41. princ. ff. de Re judic. L. 63. ff. pro socio.* Nec distinctionem hic admitto inter suos & extraneos heredes, quam respuit generalitas legum, & argumentum ex *L. 1. §. 43. ff. de aqua &c. L. 3. §. 3. quibus mod. ususfr. amitt.* Quod in *L. 12. §. 1. C. qui pot. in pign. habetur*, non est transmissio, sed nova concessio beneficii liberis facta, quæ item fit in *L. 18. ff. sol. matr.* Plane si heres ejusdem conditionis est, ac defunctus. e. g. uterque miles, & heres ille ex sua persona beneficio gaudebit. De quæstione, utrum sententiam in defunctum privilegiatum latam adversus heredem Judex exequi possit? Vid. *Lauterbach. d. l. §. 37.*

§. XVII.

Quoad fidejussores observandum est, eos hoc privilegio, utpote personali, uti non posse, *L. 63. §. 1. ff. pro socio*, *L. 24. princ.* & *L. 41. de Re judic. L. 7. de Except.* Ex quo Bachovius infert, *ad Tit. Inst. de Act. §. 37.* quod ubi fidejussor datus est, hoc remedium sit fere inutile debitori: quoniam fidejussor in solidum exactus, itidem in solidum exigeret actione mandati contra reum principalem. Sed cur non liceret debitori principali & ipsi fidejussori hoc beneficium opponere? Quod si

C fit,

fit, dura est conditio fidejussoris, qui sibi imputet, quod pro tali fidejussit, qui hoc beneficio gaudet. *Conf. Donell. Encl. Lib. 27. c. 9. X.* Ceterum Defensores & Procuratores hoc beneficium allegare posse, nemo dubitat. *L. 63. §. 1. pro socio, L. 23. ff. de Re judic. L. 14. sol matr.*

§. XVIII.

Eodem modo personis illis, contra quas beneficium locum habet, objici potest, sive ipsi agant, sive per procuratores, *Lauterbach. tb. 43. d. 1.* Obstat etiam hoc beneficium successoribus eorum universalibus, quod de heredibus uxoris nominatio tradit. *L. 27. ff. sol. matr. & ibi Gotbofr.* Imo etiam sententiam illorum veriore puto, qui existimant singularibus, quoque successoribus, quibus titulo singulari venditionis, donationis &c. nomen cessum, obesse hanc exceptionem, *arg. L. 36. sol. matr. L. 33. princ. ff. de jure dot.* Iniquum scilicet esset, per cessionem illam debitoris conditio nem deteriorem fieri, atque cessionarii meliorem, quam cedentis, *L. 156. §. 3. L. 160. §. fin. de R. J. Carpzov. Part. II. Conf. 17. Def. 19. n. 4. Lauterbach. d. 1. tb. 45.*

§. XIX.

Num autem hoc beneficium, seu privilegium contra æque privilegiatum locum habeat? an minus; alias quidem questionis est, hic vero nullius dubii. Licet enim haud inficiandum, per communem regulam certum esse, quod privilegiarius contra, æque privilegiarium uti suo privilegio non queat: tamen exemplis ex legibus desumptis demonstrari potest, adesse hic quodammodo exceptionem a regula. Sic uxor gaudet, hoc privilegio, & tamen maritus eidem potest hocce suum

suum opponere, in L. 20. de Re judic. & vice versa uxori marito. Addatur. L. 18. ff. sol. matr. & L. 6. ff. pro socio, item L. 16. ff. de Re judic. Manz. in Asyllo credit. P. 3. qd. 6.

§. XX.

Forma vero, quæ cum fine interno coincidit, beneficii hujus hæc est, ut debitor eatenus saltem condemnetur, quatenus, vel in quantum facere potest, h. e. quatenus facultates ejus patiuntur, ut non totum, quod habet, extorqueatur, sed & ipsius ratio habeatur, ita, ut aliquid sufficiens relinquatur, ne egeat. Quæ omnia ex legibus supra allegatis §. III. & præsertim ex L. 30. ff. de Re judic. & L. 173. de R. J. satis probari possunt. Vocabula facere posse omniaque reliqua civiliter intelligenda sunt, nempe, ut facere ita quis possit, quo honeste, & salva dignitate vivere queat, habeatque, unde sibi & suis victim & amictum præbeat. L. 12. §. 1. ff. de Ufū. L. 173. de R. J. Manz. Pat. Deb. P. 33. q. 4.

§. XXI.

In aestimatione ergo hujus rei multum judicis arbitrio relinquendum est, qui pro conditione personarum, quæ hoc beneficium petunt, atque earum facultatum, quas jurato indicare tenentur, estimabit, quantum relinquendum sit debitori. Qua de re late agit Donnell. d. 1. lit. H. b. Manz. d. Tract. Dec. 3. Quest. 3. & 4. Carpz. Part. I. Const. 32. Def. 16. 17. Plane illi, qui operis suis pro conditione personæ necessaria ad vitam acquirere potest, non ita indulgendum esse hoc beneficium, ut ex bonis, ex quibus solidum solvere possit, quicquam retineat, æquitas svadet: cum ex illis habeat, unde vivat. Atque sic relatum mihi est, Colonel-

lo cuidam, qui actu adhuc officio defungebatur, petitionem istam denegatam fuisse.

S. XXII.

Ceterum, qui eo beneficio, quod ipso jure non tollit obligationem, Lauterbach. *tb. 48. d. Diff.* cum effetu gaudere vult, exceptionem, quæ exinde fluit, tempestive opponat in judicio. *L. 7. princ. de Except. L. 17. §. 2. sol. matr.* Quod vel ante, vel post litem contestatam in ipso executionis actu fieri potest. *L. 41. ff. de Rejud. Carpz. Part. I. Conf. 32. Def. 15.* Nam et si hæc exceptio causam non perimat, sed tantum differat, attamen ex anamoliarum genere est, quæ quo cunque tempore opponi possunt. *Lauterbach. d. 1. thes. 48.* Quod si autem illam, reus non opponat, judex eam supplere non tenetur, imo non debet. Facti enim sunt tales exceptiones, & ad jus partis pertinent, quod si ipsa negligat, judex supplere non potest. *L. 4. §. 8. ff. de dam. inf. Hilliger. ad Donell. L. 27. cap. 9. lit. Q. q. Baeb. ad Treutl. Vol. 2. Diff. 26. tb. 6. lit. C.* nec proderit, facta solutione in solidum, conditio indebiti, cum naturalis obligatio, hic subfuerit solvendi, *L. 9. de Cend. indeb.*

S. XXIII.

Quod si vero exceptio hæc quidem a parte opposita fuerit, at judex neglexerit ipsam, ita, ut hac etiam opposita, tamen reum scienter, contra privilegium in solidum condemnaverit, hoc casu distingvas neceesse est. Aut enim ejusmodi judicis sententia tantummodo jus partis neglexit, aut contra jus constitutionis in ea judicatum, e.g. dictum militi sagato beneficium hoc non competere. Priori casu sententia nihilominus valet, & nisi

& nisi legitimis remediis suspendatur, transit in rem
judicatam, etiamsi ex gratia a judice, quale de judice
non quidem præsumitur, ita judicatum fuerit. *L. 65. §.
cum Prator. ff. ad Sctum Trebell.* Posteriori vero casu,
cum sententia contra jura sit nulla, reo præjudicare
non potest. *L. 2. C. quando prov. non est necesse, sine ap-
pell. L. 27. ff. de Re judic. vid. Lauterbach. d. l. §. 49.*

§. XXIV.

Deveniamus vero, nunc ad illud tandem, quod ca-
put est hujus tractationis, quæstionem nempe: *Utrum
civitatibus beneficium competentie competit?* Ubi tamen
omnium primum illud explicandum est, quid sub no-
mine *Civitatis* intelligamus. Scilicet *Civitatem* voca-
mus, *perfectam domorum, ac familiarum societatem, iis-
dem legibus ordinatam, ad vitam perfectam, & per se suffi-
cientem degendam.* Qualis societas alias *etiam urbs* dici
solet; quamvis haec vox magis ad locum, quo *societas*
ista degit, referri soleat. Sive autem iste locus muris
claudatur, sive non, nihil interest, licet interdum in
sensu specialiori urbs illud societatis domicilium appelle-
tur, quod moenii, vel muris cinctum. *L. 2. ff. de V. S.*
Ex hacce autem definitione facile appareat, quomodo
urbs, vel civitas, *a pagis & vicis*, ex quibus illa com-
posita, distingvatur, scil. in eo, quod *pagi & vici* suffi-
cientia rerum illa careant, quæ in civitate, vel urbe
requiritur. Et licet quoque in minoribus oppidis illa
sufficientia ad vitam civilem, & perfectio desit, descri-
benda tamen est civitas in genere, atque in sua perfe-
ctione, non ratione existentiæ.

C 3

§.XXV.

§. XXV.

In societatem autem tale coire procul dubio illi possunt, qui nullius imperio tenentur, atque tunc, si id faciunt, civitas independens inde nascitur, qualis urbs quondam Roma fuit, de qua civitate quæstio nunc non est. Quod si autem illi, qui sub alterius imperio vivunt, in societatem talem coire, vel si nemini ipsi subjaceant, in loco aliis subjecto, eam constituere velint, consensu ejus opus est, atque sine eo nihil horum fieri potest. Nam cum hujus sit regere illorum, qui sub ejus imperio vivunt, & degunt, actiones, & ejus interfit, ne plures citra ejus voluntatem cœtus cogant, qui periculum ipsi Reipublicæ conciliare possunt, jure exigere potest, ne privato auctu tale quid fiat, illudque prohibere: quam ob causam in Romana Republ. prohibitum fuit, ne collegia & sodalitia instituantur, injussu summæ potestatis. *L. I. seqq. ff. de Colleg.*

§. XXVI.

Romano jure ejusmodi civitates dependentes a summa maiestate, *Respublica in L. 26. §. 9. ff. Ex quibus causis majest. & alibi vocantur municipia t. tit. ff. ad L. Municip. quorum conditionem, quæ non eadem semper fuit, & differentias a *coloniis*, quæ etiam species civitatum, magno studio excusſit *Carolus Sigonius de antiquo jure Italie*, quæ repeterere non est hujus loci. *Conf. Dissert. Dn. Pr. de confirmat. Statutor. §. 7. 9. & seqq.* Solet vero ab illis argumentum saepe peti ad hodiernas nostras civitates in Germania eas præcipue, quas *municipales*, seu provinciales dicimus: quod tamen non semper commode fieri potest. Interim de hisce*

hisce civitatibus quæstio hæc nostra intelligi potest, sive immediate, sive mediate subsint Principib⁹, ac Statis⁹ Imperii. Potest tamen etiam applicari ad Civitates Imperiales, quæ, licet territoriali potestate gaudient domi, intuitu tamen Imperatoris & Imperii dependentes sunt societates, atque in judiciis Imperii propter debita conveniri possunt.

§. XXVII.

Illud vero, tum ex Romanis LL. tum Germaniæ institutis hic notandum est, societatis illius, quam civitatem dicimus, jura ad sufficientiam, quam intendunt, necessaria hæc haberi: (1.) ut peculiarem magistratum ex suo ordine habeant & eligant, officialesque necessarios constituant, (2.) potestate gaudeant libere negotiandi & exercendi opificia, cum dignitate fori, rerum venalium, & nundinarum, (3.) ut cives communi societatis jure fruantur, & dignitatum, quoque in suo ordine sint capaces; ut (4.) denique habeant facultatem statuendi de rebus ad istam politiam pertinentibus, & ejus exercitium. De quibus omnibus latius actum in ista dissertatione de confirmatione statutorum. §. 29.

§. XXIX.

De tali itaque *societate* quæstio tractanda nunc est: *Utrum illa habeat beneficium competentia?* quæ quæstio hunc sensum habet: utrum civitati, quæ persona non quidem physica est, sed tamen moralis, si a creditoribus suis urgeatur, solidum extorqueri possit, etiamsi nihil supermaneat; vel num tantum relinquendum, ut Magistratus, seu administratores civitatis, vel aliique officiales

ciales salario inde capere possint, aliaque necessaria superant, quibus societas in tali statu conservari queat, qualem in §. præcedenti descripsimus? Qui patrocinium civitatum, hac parte suscipiunt, haud pauci sunt, & quidem viri eruditione & fama, quam maxime clari. Ex quibus potissimum tres nunc allegabimus, scilicet, Casparem Manzium, Benedict. Carpzovium, & Davidem Mervium.

§. XXIX.

Prius nobis res sit, cum Manzio, qui anno LXI. seculi superioris in *tertia parte Patrocinit debitorum Qv. 4. n. 137.* civitatibus attribuit competentia beneficium. Non pigebit ipsius verba audire:

Zum Bierdtien! wenn die execution wider eine Stadt und Gemeine fürgenommen wird / seyn sie nicht also zu erschöppen / daß nit etwas im Vorrath verbleibe / für die zukünftige Nothfälle und Nothdürftigkeit / sonderlich aber für der gemeinen Stadt-Gebäu / für die Stadt-Mauren / Brücken / Pflaster / Steg und Weg / für die Mühlen / Wassergäng und dergleichen: Item für die Besoldungen des Advocati, oder Syndici, des Stadt-Schreibers / der Bau-meistern oder gemetner Stadt-Diener. Denn in diesen hanget das Heyl der Stadt / und der Gemeine Nutz / welcher billich der privat-Gläubiger Schuld/ prætensionen und Forderungen vorzuziehen. Hieher schickt sich wohl der text. in extravag. un. de decim. welcher schon hieroben angezogen worden / in welchem von denen / wegen der Kriegs-Noth angelegten Ze henden / dannoch diejenige Gelder ledig gesprochen worden / welche zu den Stadt-Graben/ zu Anbauung der

der Felder/ damit sie desto fruchtbarer werden: Item zu Unterhaltung und reparirung der Mühlen/ Apothecken und dergleichen Häusern vornöthen. Besiehe Marantam in suo Spec. p. 6. de execut. n. 51. allda er sagt/ daß wegen gemeiner Stadt-Schulden die execution in rebus publicis, als da sein das Rathhaus/ Weg/ Schaublaß/ und andere zu gemeiner Bürgerschaft Nutzen gewidmete Dörther nicht könnten fürgenommen werden. Ex quibus apparer rationem esse ejus petitam partim a publica salute, quæ privatorum creditorum causis præferenda est, arg. L. 5. C. de Offic. Recht. partim ex textu extravag. communis unicæ de decimis, ex quo, quid colligere velit, ipsa verba illius indicant, & (3.) ex allegata auctoritate Marantæ in Speculo Part. VI. de Executione n. 51.

§. XXX.

Post hunc Carpzovius Saxoniae ille *Papinianus Anno M DC LI.* asylum debitorum edidit, in quo cap. i. §. 48. pluribus exequitur hanc quæstionem; & quidem fundamentum affirmativæ decisionis potissimum ponit in duobus responsis Facultatis Juridicæ Lipsiensis his verbis conceptis: (1.) Ob nun wohl billich/ daß ein jederweider seiner Forderung/ wann auch gleich dieselbige ohne Versicherung auff bloßen Brief und Siegel bestehet/ contentiret werde. Dennoch aber und dierweil unter denen Gläubigern/ nach Inhalt der Rechte/ etliche vor andern privilegiert/ und das jentige/ so zur Besoldung der Raths- und Estates-Personen abzustatten/ alldieweil solches zu Erhaltung des Regiments/ allgemeiner Stadt-Güther/ und denen sämtlichen Creditoren zum besten geschickt/ ebenmäßig und zwar vor allen

D

len

len andern Creditorn befreyet. So werde also erwehnte Besoldungen / und was sonst zu Erhaltung des Stadt - Wesens auffgewendet werden muß / vor andern Gläubigern in concursu creditorum billich zu erst bezahlet und abgetragen / V. R. W. ad requisitionem Senatus C. Mens. Decembr. anno 1646. (z.) Ob nun wohl den Creditorn die execution nicht versaget werden kan : Da aber dennoch / euerm Fürgeben nach / bey allgemeinen Stadt - Güthern und Einkünfften nicht so viel verhanden / daß nach Veräußerung selbiger Mühlens das algemeine Stadt - Wesen an Röhrwassern / Gebäuden / Besoldungen der Raths - Personen / Stadt - Dienern und dergleichen unumgänglicher Ausgaben / und Beschwerungen nicht erhalten werden möchte. So würde vor Besiedigung aller Creditorn , so viel als man zu Erhaltung des Stadt - Wesens benötigt / ausgezehnt und innen behalten / und hätten sich vißfalls die Gläubiger keiner priorität oder execution anzumassen / V. R. W. ad consultationem Senatus C. Mens. Octobr. anno 1648.

S. XXXI.

Addit postea, se in rationibus horum responsorum subsistere, quas ad sequentia capita redigit. (i.) Nempe dicit, sumptus in causam communem, & ad conservationem universorum debitoris bonorum, ac facultatum erogatos in concursu creditorum ante omne æs alienum esse exsolvendos, quippe quibus efficitur, ut creditoribus omnibus satis fieri queat. L. 8. in fine deposit. L. i. S. i. verſū vel in aliis necess. causis C. de jure delib. Beuter. de Prelat. jur. Lib. i. cap. 72. Idem autem vult juris esse de sumptibus in conservationem status Reipublicæ & ad

& ad præstationem salariorum impensis. Cum enim, inquit, administratores operis suis presuerint statui ac bonis & redditibus civitatis, eaque conservaverint, ut solutionem sibi inde polliceri possint creditores, nihil recepturi, si status Reipublica ac universitatis in fumum abiisset, omnesque perirent redditus, ac proventus, quis non judicaverit, jus prælationis expensas basce in concursu creditorum obtinere, earumque rationem imprimis habendam fore, antequam reliquis creditoribus executionem urgentibus satisfiat?

§. XXXII.

Addit (2.) minus dubium esse de hoc in foro nostro Saxonico, ubi famulos ac ministros debitoris salarium suum petentes hoc nomine reliquis omnibus creditoribus etiam hypothecariis anterioribus præferri videmus, *Land-R. L. I. Art. 22. Conflit. El. 28. in princ. P. I.* non alia ex causa, quam quia per operas famulorum tota debitoris familia, ejusdemque facultates, unde creditoribus postea omnibus satisfactio contingit conservantur. Ex quo ad expensas in conservationem status factas, & salario senatorum, vel administratorum civitatis idem juris esse inferendum concludit, quippe quibus non fecus, ac merces familiæ, salario præ aliis exsolvi deberent: veluti in magna causa judicatum referret *Dan. Moller. ad dict. Conf. 28. num. 86. p. I.* ad quem simul provocat. *Conf. Mev. P. 8. d. 163.*

§. XXXIII.

Evidem metuit, ne sibi objiciatur, rationem hancce tantum concernere salario præterita, quorum causa administratores operis suis hactenus creditoribus omnibus prospexerunt, ex quo parum ad futura inferendum:

D 2

dum:

dum. Sed non putat ideo sententiam mutandam, non tantum, quod ex futura etiam administratione toti creditorum cohorti ad satisfactionem eorundem commodum accedat haud minimum, sed etiam, quia status Reipublicæ conservandus, quod putat haud fieri posse, si futura administratoribus adimerentur salario. Nec enim, inquit, quisquam reperiendus erit, qui officia gratis praestet, & quidem in negotio, qualis est administratio reipublicæ, gravissimo & molestissimo.

§. XXXIV.

Post hæc publicam salutem urget, & in concursu creditorum ita procedendum ait, ne tranquillitas Reipublicæ turbetur. *Coler. de proc. Execut. c. 2. n. 288.* atque ita temperat sententiam cum *Manzio*, ut saluti solummodo publicæ succurrendum, quo scil. residuum aliquid reservetur pro mœnibus reparandis, reficiendis pontibus, molendinis, aquagijs, decernendis stipendiis archigrammateo, servis & ministris publicis, aliisque occurrentibus, ac operibus publicis, quia ab his dependet salus Reipublicæ, quæ privatorum exactionibus semper est præferenda, *arg. L. s. C. de Offic. Rector.* Atque adeo putat, quod & *Mantzius* monet, nihil relinquendum pro compotationibus in curia, aliisque conviviis instituendis esse. Quæ hactenus *Carpzovii* disciplina.

§. XXXV.

Supereft celeberrimus *Mevius*, qui A. M DC LIX. edidit normam æquitatis, seu discussionem levaminum inopiae debitorum. Qualia scripta calamitas belli tricennialis, & inde secuta magna inopia extorsit. Ille *Cap. 4. Sect. 7.*

Sect. 7. n. 37. eadem causam defendendam suscipit, atque eo beneficio semper gaudere civitates ait, ne executione auferatur, ex quo spiritus ille vitalis, qui continet civitatem, nec sine nervo rerum gerendarum sustineri potest, viget, & quo eget civium societas, Reipublice cura & administratio. In quam partem eundem excitat Maranta locum, quem Manzius allegavit. Addit (2.) tum necessitatem ex metu destruende societatis, si surripiantur sustinendi media, tum intentionem primam in civitates coeuntium, privilegium dedisse rebus necessariis ad sustentationem civitatis, ne are alieno pereat funditus. Nam uti, addit, qui solvendo non sunt, vita tamen non luunt miseriam, sic nec universitates, quarum in dissipatione mors est, ad eam per debitorum molem adigende. Quocirca ubi hæc superant bona universtatum, cives quoque, vel eo egestatis perducti sunt, ut contribuere ad eis alienum non queant, aut ad alios magis equos & necessarios usus conserre opes suas opus habeant, vel sub militum exactiōibus & bellorum operibus vix ad victimū quedam iis reliqua sunt, debitores pinquiorem eorum fortunam expectare coguntur. Nam ut ob competentie beneficium singuli retinent alimentis deputata, sic universitas sustinenda societatis necessaria, præsertim si prima fundatione eo destinata. Manzius de Part. III. Qv. 4. n. 139. & seqq.

§. XXXVI.

Sed omnia hæcce minime me movent, ut in sententiam celeberrimorum scriptorum abire queam. Potius firmissime mihi persuadeo, sententiam negativam veriorem esse, quod ex illis patet, quæ supra adduxi §. V. seq. quæ tamdiu vera manent, quamdiu jus scriptum, aut non scriptum, lex, vel certa consuetudo, non sup-

D 3

petit,

petit, vel liquido probatur, quibus hoc beneficium civitatibus sit indulsum. Erit ergo illorum, jus illud probare, qui pro civitatibus pugnant; nec abs me probationem exigere licebit, qui in negativa juris persisto
§. 4. Inst. de Legat. capit. sicut &c. X. 39. de sententia excommunicat. Cap. 23. X. Electionibus. Cap. II. de Probat.

§. XXXVII.

Enimvero si lex deficiat expressa, forte tacita voluntate legislatoriæ potestatis beneficium nostrum civitatibus censemur datum? At, rationibus hic locum non esse, nec ex illis, quæ aliis auxilium hoc dederunt, extensionem fieri posse, jam supra est ostensum. Ista vero, quæ superioribus lineis diximus non evertit Modestini auctoritas in L. 20. ff. de Re judicata. Dixerat ibidem *Dibum Pium* constituisse non tantum dotis nomine maritum in quantum facere posset, condemnari, sed ex aliis quoque contractibus ab uxore judicio conventum. Hanc extensionem beneficii a Principe & legislatore factam Modestinus ulterius producit addens: *quod & in persona mulieris aqua lance servari equitatis sugguit ratio.* Scilicet eandem rationem, de qua supra, existimavit esse in persona mulieris, quæ in persona mariti fuit, atque sic æquitatem exigere, ut credamus Principem id in persona mulieris quoque constituere voluisse, quod in persona mariti. Atque adeo, quis negarit, per doctrinalem interpretationem, quæ JCorrum est, ob identitatem rationis privilegium illis hoc accommodari posse, de quibus LL. silent. Sed primo dubium est, an hæc extensio sit Modestini. Sane pro emblemate Tribonianeo verba ultima dicta, L. 20. quæ absunt

sunt enim a libris βασιλικῶν habet *Cujuc. 24. Obs. 38. Eſt. 2.*
Difſ. 2. Modestini ad d. L. Quod, si verum eſt, non JCTi
 eſt illa extenſio, ſed Principis, qui Triboniano cum
 Collegis facultatem dedit componendi digesta, illaque
 conſirmavit. Et ſi maxime verba illa auctorem habeant
 JCTum *Modestinum*: non tamen hodie eſt cujuſvis JCTi
 hac parte illum imitari. Fuit *Modestinus* JCTus, qui
 publica auctoritate de jure reſpondit, & qui adeo inter
 Juris conditores ſuo modo refertur; tantæque autorita-
 tis, ut cum Theodoſius & Valentinianus quorundam
 JCTorum veterum ſcripta conſirmarent, & *Modestini* li-
 bris eadem felicitas contingere. *L. i. C. Theod. de Reſp.*
Prud. Quin & ea, quæ in Digestis ex illis ſuperfunt vim
 habent, atque robur, quod jufu Justiniani vim legis ac-
 ceperint, & in Germania per uſum recepta. Quid
 itaque a *Modestino* factum, aliis non statim licebit. Imo ab
 adverſariis nullibi evictum eſt, ſpeciales illas rationes,
 quæ alii profuerunt, ad civitates pertinere. Genera-
 lem autem, de qua auctum in §. VIII. non ſufficere, &
 ibi dictum eſt.

§. XXXIX.

Quia tamen diſſentientes non deſtituti ſunt ratio-
 nibus, excutiamus illas paulo accuratiuſ, & videamus,
 quid in recessu habeant. Et primum cum *Manzio* ſit
 nobis hic res: cujuſ prima ratio eſt petita a publica
 ſalute, quam & *Carpzovius* urget. In vulgus notum
 quod dicitur: Salus publica ſuprema Lex eſto. Et
 certum eſt; multa publicæ ſalutis cauſa fieri, quæ alias
 regulis communibus non conueniunt *L. 5. ff. de Decret. ab*
ord. fac. Sed non defunt, quæ faciunt, quo minus haec
 regula hic inveniat locum. Namque (i.) non abſolu-
 te ve-

te verum est, causam publicam hic subesse: quandoquidem civitates regulariter loco privatorum' habentur *L. 15. ff. de V.S. L. 15. ff. de SCto Macedon. L. 81. ff. de furt.* Quod absque omni dubio, verissimum est, si cum illis civitati res sit, qui pars ejus, vel civis non est: quo causa, si civitatis causam publicam dicere quis velit, probandum est ab eo, eandem causam civitatis pro publica haber. Et si maxime publica sit, vel etiam res sit civitati cum cive, cuius intuitu civitatis causa pro publica habenda, cuius etiam est publicam municipii sui salutem promovere; alia tamen quæstio est: an sine legis dispositione per admissionem beneficii competentiæ id fieri debeat? Quod ex principiis supra allegatis dici nequit. Neque enim Judiciis est, neque JCTi, ob publicam salutem jura specialia, vel privilegia indulgere: quæ res solius est legislatoriæ potestatis. Ut taceam alio modo etiam hoc saluti posse consuli, de quo infra.

§. XXXIX.

Quod ad textum juris Canonici a Mantzio excitatum attinet; in illa Bonifacii VIII. constitutione nihil reperio, quod mihi obstare videatur. Agit ibi Pontifex de decimis, atque definit, quomodo decimæ computandæ; & præsertim, utrum expensæ ex fructibus deducendæ sint, antequam decima præstetur? Atque postquam constituit, solas expensas necessarias deduci, quæ fiunt in re, ex qua fructus percipiuntur, arando, coiendo & colligendo fructus, sine quibus non possunt inde fructus percipi, addit: *Expensa autem, quæ fiunt in cassorum custodibus, cum fiunt extra rem, vel etiam in edificiis construendis, vel conservandis nullatenus deducentur: sicut nec illæ, quæ in villis tuendis fierent in gurris, scilicet etiam*

etiam cavaleatis. Et postea addit: *De iis quoque, que consilientur in jurisdictione, mero imperio, Regalibus, atque similibus solvendam decimam, deductis salariis moderatis, que ante cessionem decime conservaverint solvi judicibus & officiilibus, similibusque personis, sine quibus jurisdiction & cetera familia nequeunt expidiri.* Sed quid hoc ad beneficium competentiæ? Concessit Pontifex pro prosecutione belli & negotii regni Siciliæ contra hostes de Ecclesiis & personis ecclesiasticis decimas sub certis conditionibus exigi, & nominatim hac, ut salario ante hanc concessionem ex decimis præstata salva sint. Ergo civitati debitrici ex suo facto dandum est beneficium competentiæ. Quæ consequentia?

§. XL.

Quod tertio ad auctoritatem Marantæ attinet, nihil ille omnino habet, quod pro Manzio facit. Ait ille: *Pro debitore universitatis non posse fieri excussionem in viis publicis, & theatris, & aliis similibus, que sunt ad usum ci-vium & ipsius universitatis.* Sed num ideo beneficium competentiæ tribuit universitati? Minime. Sed dicit compellendam esse universitatem, ut imponat collectam secundum *Alexandrum, Bartolum, & Doctores.* Atque sic & hæc cum reliquis Manzii argumentis in fumum abeunt.

§. XLI.

Nunc cum Carpzovio agendum. Quod attinet (i.) ad Responsa incluti Ordinis, cui assedit, & præfuit illa suo loco relinquo, hoc saltem monens, responsa hæcce collegiorum non authenticam, sed probabilem saltem, quod notissimum est, hodie habere autoritatem: nec ex uno alterove unius collegii responso stan-

E

tim

tim jus & observantiam universalem esse afferendam. Ideoque non opus est, ut multis his responsis immoremur, sed potius rationes, quibus innituntur, examinemus.

§. XLII.

Ad primam *Carpzovii* rationem, quam & *Mervius* suam facit *P. 8. Dec. 163.* ut respondeam, non agitur illa, ut beneficium competentiae, tanquam jus speciale & privilegium afferatur civitatibus, sed id potius, ut præsupposito concursu creditorum aliud privilegium illis vindicetur. Largior *Carpzovio*, sumptus in causam communem erogatos ante omne æs alienum exsoldados esse, juxta *LL.* quas citavit. Vid. *Idem Part. I. Const. 28. Def. 36. seq.*

§. XLIII.

Sed quæstionis sæpe est, num administratores illi operis suis semper profint statui publico, & redditibus civitatis. Imo sæpius in obæratis civitatibus illi ipsi administratores per malam administrationem causam derunt æri alieno & derperdit statui, in quem civitas collapsa. Quo casu indigni essent aliquo privilegio, nec fas foret & præterita salario largiri. Sed fac bene rem suam egisse: nec tunc privilegium id operabitur, ut & in futurum consulatur decurionibus. Quam responsionem nondum satis diluit *Carpzovius*. Nam quod ex futura administratione cohorti creditorum commodum accedit, admitti nequit, si supponamus, creditoribus esse satisfactum. Illud vero, ad quod dilabitur, statum Reipublicæ esse conservandum, huc non pertinet, sed ad illud argumentum spectat, quod a publica salute est petitum, de quo infra.

§. XLIV.

§. XLIV.

Eandem vero sententiam suam ex Jure Saxonico probare satagit, quo famulis ac ministris debitoris salary & mercedes ante omnes fere creditores debentur. *Land-R. Lib. I. art. 22. Const. 28. in princ.* Sane & hæc omnia ad præteritas res pertinent, non ad futuras. Atque sic hoc pariter, ac præcedens argumentum concidit. Quod vero in causa magna pro salariis senatorum, vel administratorum civitatis eo quoque modo judicatum sit, id ego apud *Moller. Part. I. Const. 8. num. 86.* haud reperio. Ibi enim tantum agit de curatibus, qui a creditoribus cum consensu Magistratus bonis debitorum dantur, minime vero de senatoribus civitatum. Et si maxime ex his argumentis pro salariis argumentum peti possit: tamen ad alias res, quæ ad statum publicum necessariæ sunt, non pertineret.

§. XLV.

Quod denique de salute publica addit *Carpzovius*, illud jam supra refutatum, atque in sequentibus etiam quædam occurunt, quæ infringunt hocce argumentum.

§. XLVI.

Supereft *Mebins*, cuius argumentum ex *Maranta* petitum, eodem modo eliditur, ut *Manzii* ratiocinatio in §.XL. Quæ addit postea, majoris sunt momenti. Scilicet eo pertinent, metuendum esse, ne plane societas illa publica, seu civitas dissolvatur, & destruatur, si spiritus ille vitalis, qui vivificat quasi civitatem, superesse non possit, atque in eum statum redigatur, ut illa, quæ essentialia supra esse diximus, amplius ad-

E 2
esse

esse nequeant. Quæ latius satis eleganter deducit *Mevius ipse*. Fateor miseram esse conditionem civitatis, cui nervus rerum gerendarum deest, atque sine illo vix sperandum esse, ut facies societatis, quæ civitas dicitur, supereesse queat. Sed alia supersunt, quibus mederi huic malo potest, ut non necesse sit defraudare creditores illis, quæ optimo jure debentur. Quæ ex ipsa natura hujus societatis sepe produnt. Omnes enim, qui de societate hacce ineunda convenerunt, vel initæ dederunt nomen, obligarunt se simul, ut ea quoque præstare conferreque in commune velint, quæ necessaria sunt ad finem hujus societatis obtainendum. Hoc posito cogi possunt ad munia Magistratus subeunda, & gratis etiam, si opus; ad quæ capessenda hodie vix coactione opus est, cum sponte decurrant, & ingerant se sepe homines. Atque si omnino opus, ut salaria magistratibus, eorumque officialibus statuantur, vel ut pecunia adsit ob alios usus publicos, adigi possunt cives, ut in commune conferant nummos, ex quibus, si bona servare velint, in hanc rem destinata, satisfiat creditoribus; quod consilium post *Alexandrum & Bartolum* suggestum supra *Maranta*, vel ut bonis ob æs alienum amissis ex collata pecunia necessitatibus publicis subveniatur. Imo & ipse *Mevius n.37.* cum *Colero de Processu Execut.* Cap. 3, num. 382. afferit, ob civitatum debita, si ærario non supersit ad solutionem pecunia, eorum prædia & bona esse distrahenda; ubi haec non sufficiunt, deveniri ad collectam civibus imponendam secundum æs & libram. Quæ sane cum beneficio competentiae stare non possunt.

§. XLVII.

§. XLVII.

Illa vero, quæ diximus bene comprobat mos antiquus in curia nostræ urbis Wittebergæ receptus, qui ridiculus quibusdam visus, reipſa tamen prudentissimus est, & ex principiis doctrinæ civilis fluit. Namque quotannis Magistratus dum mutatur, & solenne judicium, das hochfeierliche Gedinge veteri ritu habeatur, Consul Prætori, & hic Scabino cuidam præsentibus civibus, qui omnes ad hunc actum vocantur, hanc proponunt quæstionem:

Wenn über allen angewandten Fleiß durch Gottes Verhängniß ein Feuer oder Schaden am Rath-Hause oder andern gemeinen Gebäuden entstehen möchte / wer denselben tragen und gelten sollte?

Ad quam Scabinus respondet: daß solchen Schaden die vier Haupt-Gewerke / und ganze Gemeine zu tragen schuldig. Quo ipse cives præsentes obligationis suæ admonentur, atque, dum non contradicunt, denuo se adstringunt ad hancce præstationem. Arque ideo id semper ab Actuario annotari solet his verbis:

Welches / und weil niemand von der Lobl. Bürgerschafft hierwieder etwas beständig einzuwenden gehabt / von derselben tacite eingeräummet / und von Hn. Stadt Richter N. N. solches nachrichtlich zu registriren anbefohlen worden.

§. XLVIII.

Quando vero Mevius noster ad intentionem primævam in civitatem coeuntium provocat, & putat, illam privilegium dedisse rebus necessariis ad sustentationem civitatis, ne ære alieno pereat funditus: nescio

an audiendus sit? Nam uti nos de civitate dependente hic loquimur: ita non video, quomodo illa sibi ipsi in præjudicium aliorum privilegii tale impertiri possit: quod sane est superioris, ut supra dictum. Si dicas, saltem intentionem istam, vel tacitum pactum, illos stringere, qui ejusdem civitatis cives, atque assensum præbuerunt: respondeo, non credibile esse, ita pactum fuisse, ut unus solus civitatis causa damnum ferat, & jus suum patiatur imminui, sed potius verisimile, id fuisse actum, ut omnes incommune conferant, atque quilibet pro facultatibus suis publicæ subveniat necessitatibus.

§. XLIX.

Ceterum si cives nolint conferre pro publico bono ac communi, atque ipsi efficere, ut societas pereat, & dissolvatur, imputent id sibi. Si non possint, videant, an misericordiam creditorum sibi conciliare, & clementiam, vel alio modo consulere queant. Si vero nulla via res succedat, atque ob paupertatem res eo devenerint, ut facies non superesse possit civitatis, ac sic omne dissolvatur vinculum, infortunium hoc patienter ferant. Nunquam tamen illud metuendum erit, multitudinem vel illos, qui supersunt ex civibus, & domicilium non mutant, sine magistratu fore: nam si maxime res in eum statum deducta, ut more aliarum civitatum nemo ex civibus amplius eligatur, vel magistratu velit defungi: Princeps non deerit suo offici, atque cœtui illi rectorem præficiet, qui jus dicat & justitiam administret, aliaque curet, quæ necessaria videntur.

§. L.

§. L.

Cum itaque hæc ipsi Merito sufficientia haud visa sint
P. VIII. Dec. 163. ad consuetudinem delabitur, qua senten-
 tiam suam firmat, illamque auctoritate *Coleri de Process.*
Execut. Lib. I. c. 2. n. 288. & *Respons. Lipsiens.* Facultat. ac
Carpzovi tuetur. Sed in *Colero* nihil horum reperio, quin
 ipse potius *P. II. C. 3. num. 309.* consilium suggerit, ut ci-
 vitas, si fiscus laboret inopia, vendat communia bona,
 vel civibus & habitatoribus collectam imponat. Plane
 consuetudo, si de illa, an introducta sit? quæstio, facti est,
 atque adeo ab allegante probanda: ut notissimum *L. I.*
C. que sit longa Consuetud. *Cap. I. de Consuet. in 6to.* quod
 hucusque factum esse non scio, nec, ut dixi supra, Lip-
 siensium & Carpzovii auctoritate sola fieri potest. Plura
 addere temporis & instituti ratio non patitur. Tu vero,
 Lector benebole, hæc, tali rerum facie, quæ multis mo-
 dis animum turbare potest, scripta, æqui bonique
 consule, ac cum venia lege. Sit D E U S
 nobis propitius, cui

LAUS ET GLORIA!

COROLLARIA.

I.

Jus circa sacra & Jus Episcopale maximopere
 inter se differunt. Qui Statibus Imperii
 Evangelicis hoc saltem tribuunt, minus
 illis tribuunt, ac par est.

II.

II.

Jus exigendi decimas, quo Ecclesiæ gaudent, non est juris Divini universalis; nec ad res spirituales commode referri potest.

III.

Inter Episcopos & Presbyteros jure Divino nulla est differentia.

IV.

Modus ille coercendi ministros Ecclesiæ, quo poenæ loco ad aliam Ecclesiam, ubi minus commodorum percipi potest (Poenitenz Pfaffen) mittuntur, multa incommoda secum habet, atque adeo caute illo utendum, ne periculum animarum, quibus clericus nocens præficitur, secum ferat.

V.

Si maritus alteri, quam uxori dotem restituere promisit, hic in solidum potest convenire maritum: nec ei cui delegatio facta sive ex causa lucrative sive onerosa obstat competentiæ exceptio. L. 41. pr. ff. de Re jud.

O. L. 32. ff. Sol. Matr. Respondebimus.

heittenberg, Diss.) 1706(1)



Vol. 18

SERENISSIMO

DN. FRIDE
ELECTOR

RECTORE ACADE
DISPUTAT

BENEFIC
TENTIA
BUS N

EX DECRETO

DN. CASP.
JC. ET ANTEC
CONSISTORII EC
NON JUDICII P

PR
SUMMOS IN J
AD D. XXI

HORIS ET L

CHRISTIA

VITEMBE

